

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Coniugium o
cum fontibus proximo et primo

Attendenda est semper eius facies
et pulchritudo laudanda,
ne si alteram inspexeris se estimet displicere.

Si totam domum ei regendam commiseris,
seruiendum est. Si aliquid tuo arbitrio reseruaueris,
fidem sibi haberi non putabit
et in odium uertitur et iurgia;
et nisi cito consuleris, parabit uenena anus.

Hugo ibidem (in libello ad socium uolentem nubere).

Attendenda est ergo semper ejus facies,
et pulchritudo laudanda,
ne si alteram inspexeris, se existimet displicere.
Vocanda est domina, celebrandus natalis ejus,
jurandum est per salutem illius,
ut sit superstes optandum,
honoranda est, nutrix et gerula,
servus paternus et altricius,
et procuratur calamistratus,
et in longam securamque libidinem exsectus spado,
sub quibus nominibus adulteria delitescunt.
Quoscunque illa dilexerit, ii gratis amandi.
Si totam ei domum regendam commiseris,
seruiendum est; sin aliquid tuo arbitrio reservaveris,
fidem sibi haberi non putabit,
et in odium uertitur et iurgia.
Et nisi cito consulueris, parabit uenena anus.

Hugo de Folieto, *De nuptiis*, 1.1 (PL 176, col.1203C-D).

Attendenda semper ejus est facies,
et pulchritudo laudanda;
ne si alteram aspexeris, se existimet displicere.
Vocanda domina, celebrandus natalis ejus,
jurandum per salutem illius,
ut sit superstes optandum;
honoranda nutrix ejus, et gerula,
servus patrinus, et alumnus, et formosus assecla,
et procurator calamistratus,
et in longam securamque libidinem exsectus spado:
sub quibus nominibus adulteri delitescunt.
Quoscumque illa dilexerit, ingratis amandi.
Si totam domum regendam ei commiseris,
seruiendum est. Si aliquid tuo arbitrio reservaveris,
fidem sibi haberi non putabit;
sed in odium uertetur ac iurgia,
et nisi cito consulueris, parabit uenena. Anus,
et aruspices, et hariolos et institores
gemmarum sericarumque vestium si intromiseris,
periculum pudicitiae est;
si prohibueris, suspicionis injuria.

Hieronymus Stridonensis, *Adversus Jovinianum*, 1.47
(PL 23, col.277A-B).